

ictō mare fugit. Ambo autē ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quōd pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur. Polyporum multa genera: Terreni maiores quā pelagij, omnes brachijs ut pedibus ac manibus utuntur: cauda vero quæ est bisulca & acuta, in coitu. Est polypis fistula in dorso, qua trās mittunt mare: eamq; modo in dexteram partem, modo in sinistram transferunt. Natant obliqui in caput, quod prædurum est sufflatione viuētibus. Cætero per brachia velut acetabulis dispersis, eo hausto quodammodo, cui adhærescunt, tenent supini, ut auelli non queant. Vada non apprehendunt: & grandibus minor tenacitas. Soli mollium in siccum exeunt duntaxat asperum, leuitatem odere. Vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt: itaque præiacentibus testis cubile eorum depræhenditur. Et cum alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat, dein putamina erosa carne egerit, adnatantesq; pisciculos ad ea venatur. Colorem mutat ad similitudinē loci & maxime in metu. Ipsum brachia sua rodere falsa opinio est. Id enim à congris euenit ei: sed renasci sicut colotis & lacertis caudam, haud falsum. Inter præcipua autē miracula est qui vocatur nautilus, ab alijs pompilos. Supinus in summa æquorum peruenit, ita se paulatim subrigens, ut emissa omni per fistulam aqua, velut exoneratus sentina, facile nauiget. Postea prima duo brachia retorquēs, membranam inter illa miræ tenuitatis extēdit. Qua uelificatē i aura, cæteris subremigans brachijs, media cauda ut gubernaculo se regit. Ita vadit alto, Liburnicarum ludēs imagine: & si quid pauoris interueniat, hausta se mergens aqua.

De ozena, nauplio, & locustis. CAP. XXX.

Polyporum generis est ozena, dicta à graui capitis odore, ob hoc maxime murænis eam cōsectantibus. Polypi binis mēsis conduntur. Ultra bimatu non viuunt. Pereunt autē tabe semper, femina celerius, & fere à partu. Non sunt prætereunda & L. Lucullo proconsule Baticæ cōperta de polypis, quæ Trebius Niger è comitibus eius prodidit. Auidissimos esse cōcharum, illas ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorū, vltroq; escam ex prædante capere. Carent cōchæ visu, omniq; sensu alio quā cibi & periculi. Insidiatur ergo polypi apertis: impositoq; lapillo extra corpus, ne palpitatu eiciatur, ita securi grassantur, extrahuntq; carnes: ille se cōtrahunt, sed frustra discuneata. Tāta solertia animalium hebetissimis quoq; est. Præterea negat vllum esse atrocius animal ad conficiendum hominē in aqua. Luctatur enim complexu, & sorbet acetabulis, ac numerofo suctu detrahit, cum in naufragos vrinantesue impetum capit. Sed si inuertatur, elāguescit vis. Exporrigūt enim se resupinati, mire omnibus marinis expetētibus odorem quoq; eorum: qua de causa & nassis illinuntur. Cætera quæ idem retulit, monstro propiora possunt

videri. Carteia in cetarijs assuetus exire è mari in lacus eorum apertos, atq; ibi salsamenta populari, conuertit in se custodum indignationem assiduitate furti immodici. Sepes erant obiecta, sed has transcendebat per arborem: nec depræhendi potuit nisi canum sagacitate. Hi redeuntem circumuasere noctu, concitique custodes expaueere nouitatem. Primum omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti odore diri. Quis ibi polypum expectasset, aut ita cognosceret? cum monstro dimicare sibi videbatur. Nanq; & afflatu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachijs clauarū modo incussos, ægreq; multis tridentibus confici potuit. Ostendere Lucullo caput eius dolij magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (ut ipsius Trebij verbis utar) barbas quas vix vtroq; brachio completi esset, clauarum modo torosas: longas pedum xxx. acetabulis siue caliculis vrnalibus peluuium modo, dentes magnitudini respondentes. Reliquia asseruata miraculo, pependere pondo d. cc. Sepias quoq; & loligines eiusdē magnitudinis expulsas in littus illud, idem autor est. In nostro mari loligines quinum cubitorum capiuntur, sepia binū. Neq; his bimatu longior vita. Nauigeram similitudinē & aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus, cōcham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac cōdi nauplium, animal sepia simile, ludendi societate sola: duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim vectorē demissis palmulis ferire ut remis. Si vero status inuident, easdem in vsu gubernaculi porrigi, pandiq; concharum sinus aura. Huius voluptatem esse ut ferat, illius ut regat: simulq; eam descendere in duo sensu carentia: nisi forte tristi (id enim cōstat) omine nauigantiū humana calamitas in causa est. Locustæ crusta fragili muniuntur in eo genere, quod caret sanguine. Latent mensibus quinis: Similiter cancri, qui eodem tempore occultantur, & ambo veris principio senectutem anguim more exuūt renouatione tergorū. Cætera in vndis natant: locustæ reptātium modo fluitant: si nullus igruat metus, recto meatu cornibus, quæ sunt propria rotūditate præpilata, ad latera porrectis: ipsædem erectis i pauore oblique in latera procedūt. Cornibus inter se dimicant. Vnum hoc animalū, nisi viuum feruenti aqua incoquatur, fluida carne nō habet callum.

De cæcris, echinis, & echinometris. CAP. XXXI.

Viuunt petrosi locis, cancri mollibus. Hyeme aprica littora sectantur: æstate in opaca gurgitum recedunt. Oīa eius generis hyeme leduntur, autūno & vere pinguescūt, & plenilunio magis, quia nocte sidus tepido fulgore mitificat. Cancrorum genera, carabi, astaci, maia, paguri, heracleotici, leones, et alia ignobiliora. Carabi cauda à cæteris cæcris distant. In Phœnice hippæ vocantur, tantæ velocitatis ut consequi non sit. Cancris vita longa. Pedes octo ni, omnes in obliquum flexi. Fæmine primus pex duplex, mari simplex. Præterea bina brachia denticula

k iij tis